

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Joh. Jonstoni Thaumatographia Naturalis

Jonston, Jan

Amstelodami, 1661

Caput XXXVI

urn:nbn:de:bsz:31-97032

CAPUT XXXVI.

DE RANUNCULO, RUTA,
Rosmarino, Rhodia & Rosa.

Ranunculus si edatur, contrahit vescentibus nervos, rictuque ora diducit. Ridentium præbent speciem, qui moriuntur. *Pausan.* Meminit ejus *Salustius*; In Sardinia, inquit, quædam herba nascitur, quæ Sædea dicitur, agrestis apio similis. Hæc ora hominum & rictus dolore contrahit, & quasi ridentes interimit. *Ruta* venenis resistit. Hinc eâ mustela cum serpente congressura, munitur, & quia salvia sæpe à bufonibus inficitur, remedium ab ipsâ, si adjuncta fuerit. In eam rem *Migaldus Horti Medici campo 6. area 3.* Vi præsentanea venenis obsistit, nec ullum serpentis genus, quàm se longissimè ejus umbra porrigit, uspiam admittit. Mirabilis magnitudinis Macherunt. *Ioseph. l. 7. de bello Iudaic. c. 25.* A nulla enim ficu celsitudine vincebatur, & vita à Herodis tracha temporibus. Epilepsiæ insigne remedium est, fortuito à rustico inventum. *Camerar. Cent. 3. memorab. 36.* Contundebat eam, & lunatici collapsi, rutæ odore plenus, continebat nares. Surgebat iste. *Rosmarinum* tam copiosum in Gallia sponte provenit, ut uratur; tam crassum, ut mensarum sit materia. Non in Vere tantum, sed & in Autumno floret. *Mathiol. l. 3. c. 37.* De illo in Anglia sic *Barclajus Icon. Anim. c. 4.* *Rorismarini* planta apud multas gentes ipsa cura qua educatur, pretiosa; his vulgaris, & nonnunquam in sepes, velut ad hortorum custodiam stipata. *Rhodia* radicum vivacissima est. Nam è terra effossa, nisi siccissimis reponatur locis, post multos menses rursus plantata, repullulascit. In altissimis rupibus nascitur, ubi vix tantum terræ habet, ut illi inhaerere possit. *Mathiol. l. 4. cap. 41.* *Rosa* Carthagine Hispaniæ hyeme tota præcox est, semper apud Romanos in honore. Nam & folia ferculis epularum inpergere mos erat, & citrias menses illarum oblinire

fucco, ut ob amatorem intactæ à carie essent. Theophrastus centifoliam circa Philippos exire refert: & in hortis Midæ sexagenum foliorum sua spontè rosæ nascebantur, fragrantiori odore quàm cæteræ in quibus Silenus fuit exceptus. *Herodor. l. 8.* Heliogabalus in recumbentes convivas per laquearia, veluti per impluvium rosas effundi jubebat. *Dalechamp. in lib. 21. cap. 4.* Admirandum illud est quod de rediviva narratur. Scilicet magni nominis apud Cracovienses Medicus erat, qui adeo eleganter apparabat cinerem, ex omnibus plantæ partibus, ut omnes earum scite conservaret spiritus. Cinis, admota vasculo candela, aliquanto incallescens, apertæ rosæ emittebat speciem, quam sensim crescere, vegetari, ac formam penitus caulis, foliorum, ac geminæ denique floridæ rosæ umbram exprimere, tandem explicatissimam Rosam producere, intueri licebat, redibat in pulverem igne remoto. *Rosenberg. Rhodolog. c. ult.* Idem ferè in Urtica accidisse, historia apud *Quercetanus de peste* testatur. Cum enim quidam remedium contra calculum instituere vellet, sub finem Autumni non paucas è terra urticas integras radicitus evulsit, ex evulsis lixivium cum aqua calida, vulgari modo composuit, compositumque philtrando, atque transcolando purificavit, ut ex illis tandem, secundum Artis præcepta suamque pariter intensionem educeret, accommodatum. At vero cum in vasculo quodam terreo, prædictum lixivium, tota nocte, ut frigeret, exposuisset, quo die subsequente, exhalationem ad salem extrahendum moliretur, casu quodam contigit, hac ipsa nocte, aerem ita in frigidatum fuisse, ut totum lixivium gelu nimio concretum fuerit. Cum igitur summo mane, vas illud è fenestra amovere vellet, præter suam vidit opinionem, aquam lixivii congelatam, subindeque mille Urticarum figuras, in illa, cum radicibus, foliis & truncis adeo perfecte descriptas & adumbratas; ut qui melius illas ad unguem expressisset, figurassetque vix pictor ullus reperiretur.